

SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

EPISTOLA IN VITAM WILFREDI ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS

(Apud Warthon, Anglia sacra, tom. II, pag. 50)

Orthodoxæ fidei famulatio ancillatis, eisdemque ecclesiastico antistantibus proposito quaquaversum orbis, tam instantibus quamque futuris, Odo Dorobernicarum opilio ovillarum in sanctæ humilitatis consectione collegium et in concessu inexhaustæ beatitudinis tripudium.

Sagax humanæ curiositatis industria dum jugiter aggeratim sibi provideat labilia, adeo plerumque protelatur philanthropia, ut intransmeabiles naturæ metas insolenter præteriens undecunque et jam inficiando conquirendum fore præordinet. Etenim ex quo paradisi terrestri primicola viperina minus præsensit eludia, dilatoque mortis compendio debita moleste cœpit afflicti solertia, insopibili fere mundialis enormitas grassatur parcimonia, unde et obstinatoris parcitatis silvescente propagine, fasque nefasque interdum non admodum discrete compaginat, Enimvero nobis inenacuabili [inenervabili] veritatis testudine galetis congruit normalibus agenda rubricare methodis, eatenus præcipue ut cœnulenti flocci pendentes lucra commercii, propheticis concentibus studeamus aptari. Mihi autem dicentes, *Adhærere Deo bonum est* : qua in re ex diametro connectatur ; non ei famulari non bonum est. Siquidem quorsum hæc velint evadere minutæ. hujusce micello brachilexii contignabo. Innumeras Anglorum imperium sustinuisse olim discordias) quibus et antiquorum vulnere domicilia patrum, et multa religiositatis unione fuscata, theorici cultus absol-

(273) A loco apud Mabillon. Act. Benedictin. sæc. v, p. 283, ubi ista quæ uncis inclusa sunt reperiuntur.

A vere semina, neminem ejusdem prosapie phisilegam nescire profiteor. [Igitur venerabilissimas beati confessoris Christi Wilfredi reliquias indecenti sentinosæ voraginis situ marcidas, imo quod dictu quoque meticulosum est, prælatorum horripilatione neglectas, cum inde favente Deo scilicet et loco (273) sepulcri ejus quidam transtulissent, reverenter excepi, atque intra ambitum metropolitanæ, cui gratia Dei præsideo, Ecclesiæ collocavi.] Præsertim cogente illo evangelistæ testimonio, meo videlicet apologetico. *Quia ubicunque fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ (Matth. xxiv, 28).* Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, et editiore eas entheca decusare, et excerptis de libro vitæ ejus flosculis, novo opere pretium duxi carne venustare. Illud quoque astruendum in calice, ne qui me caperato gangit suscendum [f., suscipiendum] supercilio impidissimo [f., limpidissimo] Dei nutui absurde nitatur refragari, dum fit in terra nihil sine causa. Quando quidem imperitate vitat illud comicum : *Auribus teneo lupum.* Porro acerbæ ternicositatis injectaque deperationis angelogias intrito universalitatis epithemate et ambrosio dictionalitatis collemate indulcabo, ringens cum giganticida Domino : *Ego in Domino speravi. Omnis sperans in Domino exsultabit et lætabitur in misericordia ejus. Ego igitur exsultabo et lætabor in misericordia ejus (Psal. xxx, 7 seqq.).*

sæc. v, p. 283, ubi ista quæ uncis inclusa sunt reperiuntur.

SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

CONSTITUTIONES

T. mpore regis Edmundi, hoc est annum circiter Domini 942, in quibus cavetur de officio regis, magistratum, et cleri, et de juribus Ecclesiæ rite conferendis.

(Apud Mansi, Concil. ampl. Coll., t. XVIII, col. 393.)

TITULI CAPITULORUM.

I. De immunitate Ecclesiæ.

II. De sæcularium principum officio et obedientia episcopis præstanda.

III. De officio episcoporum.

IV. De officio presbyterorum.

V. De officio clericorum.

VI. De officio monachorum.